



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

De feria & vigilia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

do in Kalendario ponitur hæc vox, *Semiduplex*. Præterea in dominicis, & diebus infra Octavas. In Semiduplicibus tam festis, quam dominicis, & infra Octavas dicuntur plures Orationes, ut infra dicitur in Rubrica de Orationibus. Infra Octavam dicitur Missa sicut in diebus Festis, nisi propriam Missam habuerint in Dominicis verò, sicut in propriis locis assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.

### DE FERIA ET VIGILIA:

#### III.

1. Missa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum vel Octava, vel Sabbatum in quo fiat officium B. Mariæ. In feriis tamen Quadragesimæ, Quadragesimæ temporum, Rogationum & vigiliarum, etiam si duplex, vel Semiduplex festum, vel Octava occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Missæ, una de festo post Terentiam, alia de Feria post Nonam.

2. In Vigiliis autem & Feriis Quatuor

tuo

tuor Temporum, vel feria secunda Rogationum, quæ veniunt infra Octavam, Missa dicitur de Vigilia, vel feriis supradictis cum commemoratione Octavæ, præterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Missæ una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam: In Missis autem privatis dicitur Missa de Octava cum commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ vel prædictis feriis fiat officium de aliquo Festo, tunc dicitur Missa de Festo, cum commemoratione Octavæ & Vigiliæ, vel feriarum prædictarum. Quòd si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primæ classis, in Missa non fit commemoratio de ea, sicut nec in officio.

3. Si festum habens Vigiliam celebratur Feria secunda, Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium: excepta Vigilia Nativitatis Domini, & Epiphaniæ.

4. Missa Vigiliæ in Adventu occurrentis, dicitur cum commemoratione ferie Adventus, licet de ea non sit factum Officium: Vigilia Nativitatis excepta.

B 2

5. Si

5. Si in Quadragesima & Quatuor temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.

6. Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non jejunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniæ.

DE MISSIS VOTIVIS S. MARIE  
& aliis.

IV.

1. In Sabbatis non impeditis festo Duplici, Semiduplici, Octava, Vigilia feria Quadragesimæ, vel Quatuor temporum, vel Officio alicujus Dominice quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de S. Maria secundum varietatem temporum, ut sine Missalis ponitur.

2. In Adventu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea, cum commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor tempora, vel Vigilia, ut supra.

3. Alii